



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

De instabilitate humani cordis. X.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

## De instabilitate humani cordis.

Ioan. 15.  
Hier. 2.

1. **Q**ui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Cogitationes & affectiones hominum, variæ sunt & instabiles: sed inanes omnes & impuræ, quæ de Deo non sunt. O cor humanum, cupidum nimis & insatiabile; quàm malum est tibi & amarum, relinquere Deum tuum? Cur multa inania citas, quæ te perfectè consolari nequeunt, nec plenè satiare? Quid igitur facies, quò te vertes, vt bene habeas? Reuertere citò ad cor tuum, vide in quantis offendisti, cura emendare, quæ deliquisti. Præpara Deo domum mentis, custodi te ab irruentibus imaginibus & curis externis, vt replearis consolatione sancti Spiritus.

Psal. 91.

2. Qui sepius foris euagatur, rarò inde melioratur. Omnia ad nihilum tendunt, quæ foris nitida apparent. Nec videntem satiant visa, nec audita implent corda, & nisi omnia referantur ad laudem creatoris, inanis est omnis visio videntis. Hinc sanctus David citharalaudes canit Deo in excelsis: *Delectasti me Domine in factu virtutum tuarum. & in operibus manuum tuarum exultabo.* Nemo stabilitur in bono creato, sed tantum in Deo solo summo bono. Sta in veritate, & veritas liberabit te de omni mendacio & iniquitate, de tua persona fabulata. Omnia quæ de proximo malè finguntur, reuertentur in caput obloquentis. Christus veritas est: & qui sequitur Christum, amator est veritatis & omnis virtutis. Qui deserit veritatem propter lucrum temporale vel honorem, perdit fidem & virtutis decorem. Deus veritas est, & mendaces non finit dilatare. Malus ad tempus fingere potest, sed finaliter veridicus prænalebit, & fictus confundetur, vbi non æstimat. Noli aliqua cogitare nec desiderare, nisi quæ recta sunt, & Deo maxime placent: hæc enim sunt virtutes, & bona opera ad honorem Dei facta.

Ioan. 14.

3. Qui loquitur veritatem, & odit iniquitatem, hic magnus erit in regno cælorum. Qui operatur iniquitatem, & odit veritatem, in æternis pœnis cruciabitur. Manè in veritate & charitate, & eris acceptus Deo, & angelis, & hominibus. Nec timeas. Malus potest auferre aliqua transitoria, sed Deus reddet patienti multo maiora & æterna. Si vis habere pacem & bonam conscientiam, serua humilitatem, patientiam, & obedientiam. Nullus hostis peior tibi, quam tu ipse tibi grauiter commotus. Si enim proprios defectus cautè consideres, aliorum facta parum ponderabis.